

fidelibus praesentem paginam inspecturis volumus esse notum, quod Johannes dictus de Rizowe nostrae perpetuus ecclesiae vicarius hospitali in Misna ita contulit octo marcas, ut soror sua Johanna temporibus vitae suae victum in eodem hospitali habeat, quae marcae sunt pro decima una datae, quae est in his villis: Steinbach<sup>a)</sup> XXXI modii siliginis et totidem avenae Indaginensis mensurae, Szoninbere<sup>b)</sup> V modii et quartale siliginis et totidem avenae eiusdem mensurae, Drogozwiz<sup>c)</sup> X modii siliginis Misnensis mensurae. Ut ergo hoc factum firmum maneat in futurum, praesens scriptum nostro sigillo fecimus communiri. Huius rei testes sunt Albertus de Doblin, Conradus de Nozzin, Vlricus praepositus Budisinensis, magister Erpho, Henricus de Lubene, Albertus praepositus Wurcinensis, magister Conradus, Siffridus, Siffridus capellanus, Misnenses canonici et alii quam plures. Datum in Misna anno dom. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.L<sup>o</sup>. indictione VIII. IIII. Nonas Martii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

a) Steinbach, Par. Naunhof bei Radeburg. b) Schönborn(?), Par. Lampertswalde b. Grossenhain. c) Dreissig, Par. Beicha b. Lommatzsch.

## No. 10. 1255. 2. Mai.

*Markgraf Heinrich verleiht dem Hospital Geldzinsen von einem Allod in Cölln bei Meissen.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thur. langravius et Saxoniae comes palatinus omnibus imperpetuum. Cum diuturna temporum vetustas rerum gestarum oblivionem inducat multotiens et errorem, dignum est et consentaneum rationi, ut quibuslibet factis piis et salubribus per scripti testimonia succurratur, ne ex defluxu temporum oblivionis caligini involvi valeant et sic postmodum permutari. Eapropter notum esse cupimus tam praesentibus quam futuris, quod saluti propriae intendentes domum hospitalis in Misne propter deum et ad instantiam domini Wignandi de Herstein respeximus oculis pietatis dando eidem cum consensu filiorum nostrorum iure proprietatis ad resignationem dicti militis illum censum, scilicet XXII solidos, qui de allodio sito in Colonia apud Misnam, quod possidet Henricus de Martbere, annis singulis persolvuntur, et quia dicti denarii Misne ad castrense feodum pertinebant, in eorum restaurum recepit XXII solidos Misne ad castrense feodum in villa Polzen<sup>a)</sup> de suo iusto feodo idem miles. Recognoscimus etiam quod XVIII denarios de tribus areis, in quibus dictum allodium est constructum, similiter ipso iure contulimus eidem hospitali imperpetuum possidendos. Ut autem huiusmodi nostra donatio liberaliter a nobis et pueris nostris facta eidem hospitali stabilis postmodum perseveret, super eadem sibi dari iussimus in testimonium praesens scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum Kozzebude<sup>b)</sup> anno domini M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.LV<sup>o</sup>. VI<sup>o</sup>. Nonas Maii XIII<sup>ae</sup> indictionis. Huius rei testes sunt clerici dominus maior praepositus Misnensis, praepositus Christoforus de Hagin, dominus Johannes Misnensis canonicus, Johannes Misnensis vicarius, domi-

a) Paltzschen, Par. Lommatzsch. b) Cossebaude, Par. Briessnitz.